

firmavit & præposituram Trajectensem [sic lego] eidem in commendam propter tenuitatem Ecclesiæ Osnaburgensis gratiose dedit & concessit, qui laudabiliter eandem in pace circa ad viginti septem annos gubernavit, licet in principio sui introitus inter eundem & præfatum Dominum Albertum de Hoya guerra fuissent, unde orta erant incendia & rapina quæ per Nobilem Comitem Nicolaum de Tekeneborch amborum consanguineum, & alios erant pacatæ ad laudem Dei & utilitatem dioecesium ambarum.

[Ascribitur à possessore antiquo libri, (qui & initio operis de autore notaverat:) Iste Conradus non fuit Electus, prout supra narratur, sed sibi provisum fuit de ecclesia Osnaburgensi per Papam. Albertus ante dictus obiit XXV. April. media nocte, sepultus in summo, in medio Ecclesiæ Mindensis circa prædecessorem suum.]

LI.

Henicus de Schomborg LI. Episcopus Mindensis fuit electus an. M. cccc. lxxiii. die P. ante portam latinam per modum compromissi.]

[Idem antiquus possessor supra post verba: ET ISTA SUFFICIENT, margini hac ascripserat: Idem Johannes fuit secundus Abbas post Reformationem, & fuit sanctus homo, missus de Bursveldia ad Coloniam, ubi prius fuit Monachus. Et ante mortem eligit Jo. Segen (sic lego) in Abbatem vel resignavit, ne observantia periret. Post ille Puerke electus, qui etiam in observantia mansit.]

XX.

CHRONICON
EPISCOPORVM VERDENSIVM,

Ex MSto.

Anno incarnationis dominicæ DCC LXXXVI. Indictione XII. fundata & instituta est sedes huius Ecclesiæ Verdensis à glorioso domino Karolo Magno rege, anno regni eius XIX. præfidente sanctæ Romanæ Ecclesiæ domino Adriano papa primo, & confirmante sanctæ Moguntinæ sedis Lullone Archiepiscopo, quo interveniente ipsius Ecclesiæ Metropolitanæ est subiecta, & commissa est beato Swiberto immortalis memoriæ & sanctæ conversationis viro apud deum & homines, cum suis terminis sic distinctis; videlicet in longitudine à Wirraha flumine usque quo perveniatur, ubi Penæ fluvius currit in mare barbarum; in latitudine à Luya, (a) quæ absorbetur ab Albya usque in ortum Ora & Kalevorde & diversis paludibus aquarumque decursibus plenius designatis; Acta sunt hæc Moguntia III. Idus Julii, Domino Karolo rege, Lullone Archiepiscopo eiusdem loci, Amelbario Treverensi Archiepiscopo, Hildebaldo Colonienfi archiepiscopo præsentibus, & [in] omnium, qui inibi aderant, præsentia sanctorum pontificum & sacerdotum feliciter Amen.

I.

Sanctus Swibertus huius ecclesiæ episcopus primus. Hic, ut scribit Venerabilis Beda in gestis Anglorum, destinatus ab Anglia cum beato Willebrordo & decem sociis, adeptus est episcopatum Verdensem, ut gentibus, quæ Dominum gloriæ non noverant, divini verbi semina deinceps messim latura, secundum dispensatam sibi à Deo sapientiam, ut servus prudens & pervigil, amministraret, & ecclesiam sibi delegatam, tum novellam, plantaret atque rigaret, donec orationibus servorum suorum fidelium interpellatus Deus omnipotens incrementum daret. Ac cum tantis virtutibus demones inviderent expulsus à sede suâ, à nephariis & paganis secessit cum suis in partes Reni, cui uxor Pipini dedit locum, qui dicitur in listore, ubi Cellam construens receptor pauperum vitam piis & bonis operibus feliciter consummavit, & sic termini ecclesiæ Verdensis longe lateque à Domino Karolo designati propter ferocitatem barbarorum & absentiam pontificum plurimum sunt contracti, & postmodum crescente religione Christiana aliis ecclesiis fundatis videlicet Caminenfi, Lubicensi, Zwerinenfi, Raceburgensi sunt attributi.

II.

Spato secundus ecclesiæ episcopus natione Scotus Abbas Amarbaracensis (b) ecclesiæ, Vir vitæ laudabilis & probatæ obiit III. Kl. Aprilis. Hic quasi solo nomine tenuit cathedram

D d 2

Verden-

(a) In Dipl. Verdensi: Lia.

(b) Amarbaracensi.

Verdensen, sicut & plures successores sui, qui expulsi de sedibus suis à paganis, dyabolo svadente; fideles, qui verbum Dei receperant, hinc inde, quo latere potuerunt, sunt dispersi. Circa hæc tempora idem gloriosus rex Francorum Karolus Romam vocatus in adiutorium ecclesie Romanæ contra *Desiderium regem Longabardorum*, quem devicit, & captivavit, & in exilium misit, reverentissime susceptus est & à *Leone papa III.* in Imperatorem Romanorum est coronatus Anno Domini DCCCI. & imperavit annis XII. committens bella multa pro fide Christi, Allemanniâ, Hispaniâ & multis regnis & regionibus ad fidem converfis, & multarum provinciarum victor existens, quem Deus manifestis miraculis sæpius exornavit. Obiit anno Domini DCCCXIII. IIII Kal. Febr. Aquisgrani & in ecclesia Sanctæ Mariæ, quam extruxerat, honorifice sepelitur.

III.

Thanco huius Ecclesie Episcopus tertius genere Scotus similiter *Abbas ecclesie Amarbaracensis*, vir magnorum meritorum & præclaræ vitæ, Obiit XVII. Kal. Martii. Iste quanto tempore rexit ecclesiam Verdensem, & omnes successores sui usque ad Dominum *Tsonem*, non legitur, nec in scriptis invenitur. Et quod unicuique pontificum anni pontificatus sui non sunt annotati, hoc utique aut propter simplicitatem aut negligentiam aut desidiam est obmissum. Huius temporibus imperante domino *Ludowico filio Karoli ossa beati Viti* de Francia in sollempne monasterium, quod *Corbeya* dicitur, Paderbrunnensis dyocesis sunt translata. Ab eodem etiam *Ludewico Imperatore Ecclesia Hildensemensis* iuxta *Indistriam* est fundata, magno miraculo beatæ virginis Mariæ operante. Hic etiam pius princeps anno imperii sui tertio convocato *Aquisgrani* venerabilium Patrum conventu, quorum consilio ex sacris canonum & sanctarum synodorum constitutionibus *librum canonice disciplinae & clericalis regiminis* perutiliter *conscribi fecit*, omnibus Deum laudantibus super clementia tanti principis & tam devoti.

IV.

Hortyla huius Ecclesie episcopus quartus, cuius vita & acta soli Deo sunt cognita, sed propter defluxum temporum à memoria sunt elapsa, & quia gesta nonnullorum pontificum minus in scriptis sunt redacta, quædam ex cronicis Romanorum & aliorum notabilium, quæ eorum temporibus leguntur contigisse, eorum memoriis sunt inserta, ut spatiorum & descriptionis æqualitas servaretur. Eo tempore [A. 840] *Lotharius primus* Ludovici imperatoris filius coronatus à *Sergio Papa II.* imperavit annis decem, qui postea renuncians seculo suscepto habitu monachiali non multo post obdormivit in Christo; De cuius anima maxima facta est altricatio inter angelos & dæmones, ita etiam, quod cunctis cernentibus, qui aderant, corpus distrahi videbatur: sed monachis orantibus misericordia Dei Dæmones sunt fugati. Huius temporibus *Normanni* adjunctis sibi *Danis Saxoniam* & regiones maritimas, *Coloniã*, *Aquisgrani* & circa *Renum*, Sacerdotibus occisis, sanctorum imaginibus truncatis, & innumerabili multitudine fidelium interemptis, devastabant.

V.

Leyulo huius ecclesie episcopus quintus. Istius gesta licet in memoria non sint, tamen credendus est magni meriti apud Deum, qui præfedit ecclesie solo nomine propter malitiam temporis, [notus] quia tunc magis humiliter populis prædicare, quam ambitionem sectari curabant. Circa hæc tempora præfedit Sanctæ Romanæ ecclesie *Johannes papa*, qui *asseritur fuisse femina*. Hæc in puellari ætate constituta artibus liberalibus excellenter imbuta, gerens se pro clerico, & cum esset in urbe magnæ opinionis, in Papam eligitur, sed procedente tempore, per quendam sibi familiarem imprægnatur, & certum tempus partus ignorans, cum de Sancto Petro in Lateranum tenderet; angustiata inter coliseum & ecclesiam Sancti Clementis peperit, & postea mortua ibidem, ut dicitur, est sepulta. Ista Alemanis obicitur, quia dicitur de *Moguntia*. Eo tempore corpus beati *Clementis* mari exsiccato Romæ translatum est, & in ecclesiam sui nominis venerabiliter collocatum. Circa hæc tempora, *Johannes Scotus* doctissimus ad preces Ludovici Imperatoris II. *Jerarchiam Dyonisi* de græco transtulit in Latinum.

VI.

Kortyla huius Ecclesie Episcopus VI. Hic de eadem gente Scotorum scilicet & Anglorum creditur advenisse; populis rudibus (*) & quasi suis progenitoribus prædicare & ad viam veritatis revocare. Legitur, quod quondam *Saxones* Britanniam, quæ & Anglia dicitur, expugnaverunt, & expulsis incolis eam longo tempore possederunt. Postea beatus *Gregorius* videns Romæ viros Anglicos elegantes corpore, contristatus, quod Dyabolus tam formosorum corporum esset possessor, misit discipulos suos ad Angliam *Augustinum* & *Mellitum* Episco-

(*) Verbum quoddam decesse videtur.

Episcopus per quos tota illa insula ad fidem Christi est conversa, qui postea dolentes de errore paterno, quia Anglici de semine Saxonum processerunt, miserunt ad eos diversos doctores, diversis temporibus, ut istos beatos viros, qui in humilitate & paupertate laboraverunt pro eiusdem gentis conversione; sed ferocitas barbarorum tunc temporis in tantum prevaluit, ut modicum proficerent, & propterea nulla autentica de eorum actibus sunt conscripta, & si conscripta, per vetustatem aut negligentiam sunt consumpta.

VII.

Y *Sengherus* huius ecclesie episcopus VII. qui successit *Kortyla*, de cuius gestis, sicut de precessoribus suis, sicut saepius dictum est, nichil praeter nomen in scriptis redactum invenitur; cuius acta noverunt, qui tunc temporis in ecclesia Verdensi Deo servierunt, qui forte concussi tribulationibus & angustiis & oppressionibus nefandorum circumjacentium etiam annos Pontificatus eorum, quos posteris suis relinquerent, sunt obliti. Tradunt Historiae, quae de Romanorum pontificum gestis tractant, quod circa illa tempora magna fuit altercatio & discordia in Romana ecclesia. Nam *Papa Stephanus VI.* omnia, quae predecessor suus *Formosus Papa* constituerat, irrita esse decrevit, & cassavit, & corpus ipsius *Formosi* defuncti in concilio publico positum, exutum pontificalibus & indutum veste Laycally, duobus digitis dextrae eius abscissis manus, in tyberim iactari praecipit; cui successit *Theodorus Papa* qui omnes ordinatos a *Formoso* papa praedicto reconciliavit.

VIII.

H *Arruch* huius Ecclesie episcopus VIII. Vir magnarum virtutum obiit *ydus Julii*. Traditum tenemus a Senioribus, quod eo tempore quo *Scoti* rexerunt ecclesiam *Amarbaracensem*, hic natione *Scotus* Abbas eiusdem Ecclesie factus est episcopus *Verdensis*, *cujus reliquiae & Domini Spattonis* relatae sunt ad ecclesiam *Verdensis* cum *Dalmatica Tankonis*, & in medio monasterio non in uno loco, sed segregatim posita, ad quorum tumbas virtutes multae visae sunt de infirmis, sicut tenetur ex relatione Seniorum. Res antiqua est & quasi abolita, & ideo anni incarnationis dominicae non sunt ascripti. Adhuc durante discordia inter Romanos Pontifices, *Sergius papa III.* reprobatus quondam a *Formoso* ad Papatum, nunc violenter intravit papatum, & in ultionem repulsa suae sibi olim exhibitae, *Formosum* diu mortuum de sepulchro extractum decollari praecipit & in Tyberim iactari; Quem inventum a piscatoribus & in Ecclesia sancti *Petri* locatum ymagines Sanctorum visae sunt venerabiliter salutasse; sic legitur in hystoriis pontificum Romanorum.

IX.

E *Rlulfus* huius ecclesie episcopus VIII. Huius temporibus, cum gens *Slavorum* in Christianos undique crudeliter saeviret, quodam tempore cum innumerabili multitudine a finibus *Stargarden & Danszek* egressa terminos Christianorum circa *Albyam* miserabiliter vastaverunt, quibus exercitus fidelium late collectus in manu valida occurrerunt. Pagani non valentes ferre impetum eorum, pace facta, in dolo multos de populo Christi incaute diversis mortibus tam de clero quam de plebe prostraverunt. Interfectus est & *Erlulfus episcopus Verdensis* cum aliis VI. episcopis, videlicet *Mindensi, Paderburnensi, Osnaburgensi, Mimigavordensi, Trajetensi, Hammenburgensi*, & tribus Ducibus, & tredecim comitibus, & aliis fidelibus multis, & quosdam captivos abduxerunt, quorum corpora Christiani tollentes sepelierunt in *Ebbekefforpe* in quatuor sepulchris, ex quibus in die *Kalendarum augusti* ob merita martyrum oleum scaturire videtur, quod collectum in vasa salutem praestat languentibus hiis, qui se credunt martyrum meritis adjuvari.

X.

H *Ellingadus* huius ecclesie episcopus X. Istos bonos viros nullus propter raritatem nominum parvipendat, quia omnia cum tempore, mores, nomina similiter & loquela mutantur; quod evidentissimis indiciis iam apparet. Iste quae & quanta fecerit in introitu & tempore pontificatus sui, in scriptis minime invenitur, qui tamen credendus est Ecclesie *Verdensi* praefuisse doctrina, humilitate, constantia, quae tunc temporis locum tenuit in Ecclesia Dei, ut pastor pervigil & fidelis. Forsitan morte praeventus vel aliis impedimentis vel deficiente notario, qui conscriberet gesta sua, a memoria sunt elapsa. Circa haec tempora, prout colligi potest, crescente religione Christiana & pace reddita Ecclesie *Verdensi*, creditur denuo possessa a suis pontificibus, qui diu dispersi sedem suam repetentes, verbum Dei praedicantes, arguentes, obsecrantes, oportune & importune, & incolas terrae ad viam veritatis & ad agnitionem fidei revocantes, sederunt, ut viri simplices & devoti, quia semper praesumendum est de bono, quamdiu contrarium non apparet.

XI.

VV *Alberus* huius ecclesie episcopus XI. obiit *VII ydus Septembris*. Per istius vocabulum nominis, videntur *Scoti & Anglici* cessasse a regimine ecclesie *Verdensis*, qui boni homines

mines præfuerunt eidem ecclesiæ, alius longiori, alius breviori tempore circiter annos LXXXV. circa hæc tempora videntur termini dyocesis esse denuo distincti, qui olim à Karolo longe lateque fuerant designati: sed pontificibus cum suo grege fugatis ad loca, in quibus se continere poterant, termini prædicti sub paganismo longo tempore permanferunt. Hiis temporibus *Conradus primus Alemannorum rex* regnare cœpit, & regnavit annis VII. Hiis diebus *Saxonia Ungariis* fuit tributaria, quod *Hinricus dux Saxonie* non ferens tributum eis denegavit. *Ungari* congregato maximo exercitu intrantes Saxoniam occupaverunt eam sicut locustæ, quos Dux bello aggreditur, & sequens eos usque ad locum *Wegbersleve*, multi occisi, & alii, qui *Jecheborch* cum multitudine magna obsederant, à finibus Saxonie & Turingie sunt fugati. Et sic ablatum est jugum Ungarorum per prædictum principem gloriosum.

XII.

V *Ichbertus* hujus ecclesiæ episcopus XII. Hic dicitur fuisse de progenie *Widekindi ducis Saxonum*, quem *Karolus rex* convertit, & sanctus *Bonifacius* baptizavit. Huius interventu *Ludovicus rex* de proprietate sua contulit ecclesiæ sanctæ *Mariae, sanctæ Cecilie & sancti Fabiani* in Verda XII. mansos in Villa *Walidi*, in comitatu *Servatii* (*) cum omnibus ad eos pertinentibus, & quicquid prædictus episcopus & sui successores rationabiliter cum ipsis facere decreverunt, liberam habeant potestatem. Hic etiam obtinuit ab *Arnulpho rege*, ut omne patrimonium suum in *Westfalya*, in *Wzeneswalt*, in *Ballana*, in *Muchuris*, *Gbevetum Heribrunno*, post obitum suum cederet ecclesiæ memoratæ, adiciens idem princeps, ut nulla persona iudiciaria potestatem habeat in hisce bonis aliquid ordinandi. Actum *Forachbeym*, Anno Domini D CCC LXXXV. Eo tempore ceperunt *Allemanni & Italici* regnare, alii in *Allemannia*, alii in *Italia* usque ad *Ottom I.* qui utrobique regnavit. Obiit hic Pontifex VI. idus Septembris.

XIII.

B *Ernarius* hujus ecclesiæ Episcopus XIII. Nulli dubium, quin isti boni viri, supra dicti Pontifices, quorum sola nomina habentur, sic rexerint ecclesiam Verdensem, quod nichil utilitatis aut negligentie (**) in episcopatu suo gesserunt, quod non fuisset dignum memorie commendandum, nisi quod torpor aut desidia hominum hos retraxit, qui solum nomina eorum scripserunt, & annos pontificatus & actus obmiserunt. Circa hæc tempora, ut perpendi potest, incepit status ecclesiæ proficere in possessionibus ex largitione Imperatorum, provisione pontificum & eleemosynis fidelium, quia postquam *Alemanni* imperare ceperunt, magis fuerant inclinati in benefaciendo ad ecclesias, & ad monasteria suæ gentis, quam *Franci* vel *Italici*. Hiis temporibus fundata est ecclesia *Gandersemensis* ab *Ottone duce Saxonie*. Non longe postea post *Conradum* regnavit *Hinricus primus* annis XVIII. qui fundavit ecclesiam *Quedelinburgensem* & eam magnifice dotavit. Circa idem tempus beatus *Odalricus* rexit ecclesiam *Augustensem*.

XIV.

A *Dalwardus* hujus ecclesiæ episcopus XIII. obiit Kl. Novembris, Vir venerabilis & illustris genere, cujus vita probata, fama illæsa & fides erat in pallatio notissima, quem dicunt etiam doctrina & miraculis celebrem & Slavorum populis prædicasse; interea cum *Archiepiscopo Unni Bremensis* verbum Dei infulis maritimis ewangelizaret. Iste fuit consanguineus & magister *Adaladagi Bremensis Archiepiscopi*, qui apud *Ottomem Imperatorem primum* potens erat, & Romæ multarum reliquiarum consecutus est portionem, de quibus *Adalwardum consanguineum suum* minime reliquit ex partem. Hic beatus Pontifex tantarum virtutum non ociose ecclesiæ præfuisse creditur, nec posse servus inutilis nominari. Hiis temporibus *Otto Imperator Benedictum Papam*, quem Romani creaverant, *Leone papa* adhuc vivente, captivavit, & in exilium misit, in quo moritur, & in *Hamborch* sepelitur. Hic etiam Imperator fundavit ecclesiam *Magdeburgensem* quam multis possessionibus dotavit, & honoribus insignivit.

XV.

A *Melungus* huius ecclesiæ episcopus XV. Hic fuit frater illius ducis *Hermanni*, qui vocabatur *filius Biligbi*, quem *Otto primus Imperator* ob merita sua constituit Ducem *Saxonie*, qui fundavit ecclesiam *Sancti Michaelis in Luneborch*. Hic ex humilibus natus, ad alta provectus, genuit filium Ducem *Bernardum*. Ille autem *Bernardum ferocissimum*, qui fuit rebellis multo tempore Imperatori, deprimens undique ecclesias. Hic genuit *Ortholphum Ducem*, *Ortholphus* genuit *Magnum*, hic non habuit filium, sed duas filias, de quibus processerunt *Duces Bawarie & Saxonie*, *Marchiones de Brandenborch*, *Comites & multi nobiles*, quorum posteritas se extendit ad tempora, cum hæc scriberentur. Huius beneficiis ecclesia *Verdensis* fratre suo *Amelungo* interpellante nullo modo creditur aliena, quia nequaquam huc usque potuisset in suo statu substituisse, nisi fuisset *Regum*, *Principum* ac *fidelium* largis beneficiis de tempore in tempus salubriter enutrita.

XVI.

(*) An *Gerhalsi* legendum.

(**) Locus paululum corruptus.

XVI.

Bruno huius ecclesie episcopus XVI. de nobili progenie natus, sed nobilior actibus. Hic hereditatem, quam possiderat, locum videlicet *Ullesen*, ad honorem Dei tradidit, ac *monasterium & canobium* construxit in honore *beatae Virginis ac beati Johannis Baptista*, factum suum confirmante *Ottone Imperatore magno*. Hic contulit ecclesie *Verdeni* *alodium in Hiddesdorpe*. Hic fecit fieri *Sarcophagum beati Mariani & plura ecclesie ornamenta*. Obiit *V. Kal. Maji*. Huius etiam temporibus *Otto secundus Magni Imperatoris filius Romam* proficiscens, *Ottone filio suo* adhuc adulescente in *Saxonia* relicto sub custodia *beati Berwardi episcopi Hildesemensis*, in Imperatorem coronatus est a *Benedicto Papa VIII* & imperavit annis XX. cum magna laetitia. Hiis temporibus sanctus *Adelbertus Pragensis Episcopus Stephanum regem Ungarorum* cum multis baptizavit, qui pontifex postea martyrio coronatur, cum verbum Dei in *Prucia* predicaret.

XVII.

Epo huius ecclesie episcopus XVII. Huic venerabili viro ad interventum *Dominæ Theophanie Augustæ, Hillebaldi Wormacensis episcopi*, nec non *Bernardi Ducis Saxonie, Otto Imperator III.* donavit in loco *Verde*, ubi principalis sedes ejus esse dinoscitur, *facere mercatum, monctam, ibelonium & bannum*, & edicto suo regio confirmavit. Insuper regali munificentia sua contulit eidem *venationem cervorum cervarumque* per totum *pagum Sturmium* nominatum. Actum *Sofat*. Anno Domini *DCCCC LXXXV*. Hic pontifex contulit fratribus *ignem & balneum*. Obiit *XI. Kl. Martii*. Hic Imperator princeps multum devotus, cum causa peregrinationis loca sancta visitaret, *Crescentius consul Romanorum, Papa Gregorio* fugato, fecit quendam *Græcum Papam* nomine *Johannem* multum pecuniosum, quod cum audisset Imperator, congregato magno exercitu, *Romam* profectus est, & obsidens *Crescentium* in castro *Sancti Angeli* quousque eum, captum cum castro, capite truncavit, antipapam vero oculis exorbavit.

XVIII.

Bernarius II. huius ecclesie Episcopus XVIII, obiit *VIII Kal. Augusti*. Hujus providentia, & *Sanctæ Conegundie Imperatricis* clementia, *Hinricus Imperator II* ecclesiam *Verdensem* & omnia ad eam pertinentia sub suæ Majestatis protectionem & Imperialis defensionis suscepit tutelam, & ut omnia bona adepta, & quæ in futurum poterat adipisci, quiete possideat, suo præcepto regio ecclesiam firmiter communiavit. Hic etiam ad preces eiusdem *Bernarii* foundationem ecclesie in *Ullesen* confirmavit. Hic Pontifex contulit ecclesie decimam in *Stendorpe*. Iste sanctus Princeps & Imperator multas provincias convertit, *Stephano regi Ungarorum* sororem suam dedit in conjugem, ipsam & totum regnum suum ad fidem Christi vocavit, *Ecclesiam Merseburgensem*, quasi ad nichilum redactam, in honorem *sancti Laurentii* restauravit, *Ecclesiam Bavenbergensem* de novo fundavit, & ibi sedem instituit cathedrali. Hic post multa bona opera defunctus, & in eadem ecclesia cum uxore sua, virgo cum virgine est sepultus. Eo tempore beatus *Godehardus* rexit ecclesiam *Hildensemensem*.

XIX.

Witgherus huius ecclesie Episcopus XVIII. vir magnificus & claræ famæ. Hic fundavit ecclesiam majorem, quæ creditur fuisse secunda, & consecravit in ea summum altare & tria alia altaria, quibus de sanctorum reliquiis imposuit maxima Sacramenta, cooperante sibi *Erico Episcopo*. Anno domini *M XXVIII*, anno pontificatus sui *XV*, hæc dedicatio facta est *VIII Kl. Decembris*, Imperante Domino *Conrado secundo*, & conregnante sibi filio suo rege *Hinrico*. Hic Pontifex venerandus intercedente secum *Gisla imperatrice & filio suo Rege Hinrico* prædicto, nec non *Meghemwardo venerabili episcopo Paderburnensi*, obtinuit ab eodem Imperatore prædium in *Romesleve Sanctæ Mariæ, sanctæque Cæcilie* in *Verda*, & *Witghero suo Episcopo & suis successoribus*, cum omnibus appendentiis, ædificiis, mancipiis, agris, cum omni iure. & ut idem episcopus & sui successores ordinandi de prædictis bonis pro usu Ecclesie suæ liberam habeant potestatem. Actum *Goslariæ* Anno Domini *M XXXI*. Obiit *VII. Idus Septembris*.

XX.

Thitmarus huius Ecclesie episcopus XX. Hic rexit Ecclesiam ut bonus Pastor & simplex. Obiit *VII. Kal. Julii*. Hiis temporibus *Henricus tertius* coronatus a *Clemente Papa II.* imperavit annis XIX. Hic fundavit ecclesiam *apostolorum Symonis & Jude* in *Goslaria* & dotavit, & multis *Sanctorum reliquiis*, præcipue *beati Martini Apostoli* magnifice honoravit, in qua cum coniuge sua postea est sepultus. Et construxit ibidem illud imperiale pallacium cum diversis suis officinis. Circa hæc tempora, Anno Domini *M LI.* celebrata est *Moguntia Synodus generalis* præsidente domino *Leone Papa, Hinrico Imperatore, Bardone Moguntinensi, Everhardo Treverensi, Hermanno Coloniensi, Alberone Bremensi, Egelhardo Magdeburgensi Archi-Episcopis*, & totius *Alimannie* episcopis, abbatibus & Prælati, & innumerabili multitudine cleri & plebis, ubi sancita sunt multa utilia pro statu uni-

universalis ecclesie, precipue heresis Symoniacae pravitate est dampnata. Ibi etiam dicitur
jejunium banni fuisse institutum.

XXI.

Bruno II. huius ecclesie episcopus XXI. Hic rexit ecclesiam, & praeiit inter procellas tur-
binum, ut vir bonus. Istius temporibus multiplicata sunt mala multa in terris; fames &
mortalitas valida fuit. Eo tempore *Hinricus III* *Hinrici Imperatoris filius* imperavit annis
XLVIII. Iste omnibus diebus suis fuit infestus Romanae ecclesie, propter quod *Gregorius Pa-
pa VII* ipsum excommunicavit, eo quod unitatem ecclesie, scindere videbatur. Imperator,
vero convocato concilio apud *Wormatiam*, XXIII episcoporum & multorum nobilium, *Raven-
natem Episcopum Papam* constituit, *Clementem* vocans, cum quo veniens Romam in magna forti-
tudine, ab ipso in Imperatorem coronatus est, & uxor eius in Imperatricem, in desolatio-
nem magnam Romanae ecclesie & imperii. Hic obsedit *Gregorium papam* cum Cardinalibus
in castro sancti Angeli, quod audiens *Wisehardus rex Apuliae* cum magno exercitu Imperatorem
cum suo antipapa fugavit in *Sutrium*, Papam *Gregorium* de obsidione liberans & cardina-
les, ac in palatio restituit Lateranensi.

XXII.

Seghebertus huius ecclesie episcopus XXII. Huic Imperator *Hinricus III* ad petitionem ma-
tris suae *Agnetae Imperatricis* donavit ecclesiae *Verdensi* beatae *Mariae* & beatae *Ceciliae* quod-
dam forestum venationis in *Magbetheyde* cum terminis suis, in privilegiis super hoc editis luci-
de designatis, qui hic poni non poterant. Insuper & praedium in *Hermensborch* in *Comitatu*
Witelonis comitis cum omnibus, quae ad id de iure videbantur pertinere, dansque eidem epi-
scopo & successoribus liberam potestatem in eisdem bonis, tenendi, commutandi, praeca-
riandi, & quicquid ei de eisdem pro utilitate suae ecclesiae placuerit, faciendum. Actum
Goslaris Anno Domini M LVIII, & suo banno maiestatis Imperialis confirmavit. Hiis tempo-
ribus initiatus est ordo *Cisterciensis*. Non longe postea claruit beatus *Bernardus*. Eo etiam
tempore floruit in Anglia *Anselmus episcopus* vita & scientia laudabilis. Eo tempore surgit
ordo *Pramonstratensis*. Circa idem tempus inventa est in *Antiochia lancea*, qua perforatum
est latus Salvatoris, per revelationem *Andreae Apostoli*.

XXIII.

Riebertus huius Ecclesiae Episcopus XXIII. Hic fuit vir magna parentela. Hic fratribus ec-
clesiae *Verdensis* consentiente filio fratris sui *Comite Gerehardo* curtem, quam hereditario te-
nuit iure in *Honstede*, cum omnibus ad eam pertinentibus contulit ad supplementum praebendae.
Insuper servitium unius mensis, quod agitur post festum *Pentecostes*, usque ad
nativitatem beati *Johannis baptistae*. Item donavit fratribus XXX. situlas mellis ad potum
dominicarum dierum & decem solidos filiginis in augmentum cottidiani panis. Item insti-
tuit fratribus tria convivia, unum in *Natali Domini*, secundum in *Pascha*, tertium in festo
Ceciliae beatae. Obiit III. Kal. Decembris. Hiis temporibus *Henricus V.* quarti *Hinrici Impera-
toris filius*, qui fuit malus omnibus, patrem suum captivavit & in vinculis mori fecit. Hiis
temporibus *Hugo de sancto Victore* doctor egregius claruit. Huius etiam temporibus *Ordo tem-
plariorum* incepit *Jherosolymis*, ex militibus congregatus.

XXIV.

Hartwinus huius ecclesie episcopus XXIV. Hic sincere dilexit ecclesiam suam, cui contu-
lit praedium in *Ride* cum omnibus, quae ad hoc videbantur de iure ac legitime perti-
nere: Hic providens saluti animae suae instituit solemnem memoriam tam fratribus, quam
scolaribus pauperibus in anniversario suo perendam. Obiit pridie Idus Octobris. Circa
haec tempora *Hinricus V. Imperator*, de quo supra dictum est, qui semper Saxonibus offensus
fuerat, ut eos omnino tolleret & deleteret, congregato immenso exercitu intravit *Saxoniam*,
ut exerceret suae malitiae tyrannidem, cui occurrerunt *Reynerus episcopus Halberstadensis*, *Lotha-
rius Dux Saxoniae* vir strenuus & *Hermannus comes de Arneborch*, cum virtute totius *Saxoniae*,
& inito conflictu durissimo in loco, qui dicitur *Welpesholt* *Halberstadensis diocesis*, cum
maxima strage hominum utriusque partis, Imperator victus est, Anno Domini M C XV.
III Idus Febr. Dicitur quod de multitudine corporum occisorum sanguis tanquam rivulus
defluebat.

XXV.

Mazo huius Ecclesiae Episcopus XXV. hic, ut ex scriptis colligi potest, non longo tempore
praeiit ecclesiae, qui *Thiimarus successor suus* eum dicit episcopum designatum. Obiit VIII.
Kal. Novembris. Huius ordinatione *Theodolphus Mindensis praepositus* & fratres sui pro quibusdam
deci-

decimarum beneficiis sibi ab Ecclesia Verdensi collatis, facta conventione, prædia sua, cum omnibus ad ea pertinentibus, prædictæ ecclesiæ in perpetuum donaverunt, scilicet in *Gheldessen*, in *Borstelde*, in *Oste*, in *Holtebutle*, in *Bollande*, in *Nortba*, quæ tunc temporis iure hereditario possederunt. Circa hæc tempora sub *Thitmaro* episcopo, *Lotharius* dux Saxonie filius comitis *Gevehardi de Supplingeborch* ad Romanum electus est Imperium, coronatus ab *Innocentio* Papa II. Imperavit annis XI. vir catholicus. Istius temporibus pax summa fuit inter ecclesiam & imperium. Iste *Daciam Romano subiugavit imperio*. Hic captivavit regem *Cylicie Tancetum* & misit eum in exilium. Hic imperator moritur in *Nurenberghe* & transfertur in Saxoniam & in *Monasterio suo Lushere*, quod exstruxerat, sollempniter sepelitur.

XXVI.

Thitmarus II. huius ecclesiæ Episcopus XXVI. Hic contulit ecclesiæ quam caritative dilexit, XI. decimas, V. mansos in *Masendorpe*, VI. mansos in *Stederdorpe*, VI. mansos in *Rosben*. Insuper instituit sibi adhuc vivens solempnem memoriam, & multa alia beneficia, quibus fratrum stipendia ampliavit, & defectum cottidianum pyssime supplevit, quæ hic de verbo ad verbum ponere longum esset. Acta sunt hæc anno domini M. C. XLVIII. Ipse etiam concambium, quod Dominus *Mazo* prædecessor suus cum Præposito *Minden* fecerat, confirmavit. Item contulit fratribus Decimam in *Esle*. Hic post multa laudabilia, quæ fecerat Ecclesiæ, obiit IX. Kal. Octobris. Hiis temporibus claruit *Magister Petrus*, qui *librum sententiarum* composuit. Item *Magister Gratianus*, qui compilavit decretum. Eo tempore liber *Johannis Damasceni de Græco in Latinum translatus est*. Fuit etiam hiis temporibus *Richardus de sancto Villore*.

XXVII.

Hermannus huius ecclesiæ episc. XXVII. Hic magnæ famæ & fidelitatis habebatur ab Imperatore *Frederico I.* & à tota Curia. Ad preces istius Imperator litem, quam *Hardewicus Archiepiscopus Bremensis* coram Imperatore proposuit super possessionibus in *palude*, *Principum*, dictante sententia; videlicet *Raynoldi Archiepiscopi Colonienfis*, *Everhardi Episcopi Brandenburgensis* & multorum principum & nobilium determinavit, & eas ecclesiæ Verdensi ac suo episcopo restituendo ac perpetuo pacifice possidendas assignavit. Hic Pontifex contulit ecclesiæ dimidietatem decimæ in *Haslewerdere* & Decimam *Rocstede*, & *Tunderlinge*. Acta sunt hæc anno Domini M. CLV. Ad preces istius Papa *Eugenius III.* confirmavit omnia privilegia data ecclesiæ Verdensi à Romanis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus catholicis super possessionibus & libertatibus pacifice possidendas. Obit III. Kal. Aug. Hiis temporibus *Reynoldus* archiepiscopus *Colonienfis* corpora trium Magorum transportavit *Coloniam*, Anno Domini M. C. LX: & post annos XIII, *Thomas Cantuariensis* in ecclesia sua martyrio coronatur.

XXVIII.

Hugo huius Ecclesiæ episcopus XXVIII. Istius venerabilis viri interventu idem *Fridericus I.* diffiniuit impetitionem, quam *Episcopus Halberstadensis* movebat super terminis in *Prato*, quos adiudicavit ecclesiæ Verdensi & suo episcopo & factum suum Imperialis auctoritatis suæ privilegiis firmiter roboravit, præcipiens *Otoni Marchioni de Brandenburg*, ut ecclesiam Verdensensem defenderet, nec permetteret, ut *Halberstadensis* ipsam in suo iure tam rationabiliter iudicato, aliquatenus perturbaret. Idem Pontifex contulit ecclesiæ decimam de allodio in *Elstorp*. Obit Kal. Martii. Hiis temporibus Anno Domini M. CLXXX *Hinricus Saxonie & Bavarie* dictus *Leo* cepit opidum *Bardewic* & destruxit in die *Symonis & Jude*. Circa idem tempus captum est sepulchrum Domini in die *Barbaræ*, & occisa est innumerabilis multitudo Christianorum, & tota terra sancta excepto *Tyro* à *Saladino* in superbia magna & desolationem totius Ecclesiæ, [occupata] & civitas sancta data est in conculcationem gentibus, & templum Domini, quod est *Iherosolymis*, factum est stabulum equorum *Saladini*.

XXIX.

Tanno huius ecclesiæ episcopus XXVIII. Hic fuerat Thesaurarius, ecclesiæ servus prudens & fidelis. Hic contulit ecclesiæ duos mansos in *Barnstede*, & unam domum in *Valentlo*. Hic comparavit ecclesiæ calicem aureum maiorem & ymaginem auream beatæ virginis. Hic consecravit ecclesiam maiorem, quæ creditur tertia, cooperantibus sibi *Annone Minden* & *Adelogo Hildensemensi Episcopis*. Obit VII Idus Decembris. Circa hæc tempora rex *Francia* & rex *Angliæ* & multitudo bellatorum occidentis cruce signati transfretaverunt in subsidium terræ sanctæ. *Fredericus Imperator* cum filio suo cruce signatus à Domino *Rodolfo*, successore domini *Tammonis* cum magna multitudine nobilium & plebis transivit per terras, & veniens in *Armeniam*, cum appropinquaret terræ sanctæ, in parvo flumine nomine *Selepb* submersus est, Anno domini M. CLXXX. Eo tempore obfessa est civitas *Ackon* à Christianis

nis duobus annis & capta est. Circa idem tempus incepit ordo militum de domo Teutonica, à Frederico Duce Svevia in obfisione civitatis Ackon, suo velo navis extenso.

XXX.

Rodolphus huius ecclesie episcopus XXX. Hic magni nominis fuit apud Imperatorem Henricum VI. qui Frederico patri suo successit in imperio. Hic contulit ecclesie & episcopo Verdenfi CC. mansos cultos circa *Noibendorpe* & bona in *Fridele* cum omnibus ad ea de iure pertinentibus; Item bona in *Comitatu Stadensi*, quæ sibi *Hardewicus Archiepiscopus Bremensis* iniuste usurpaverat, Anno Domini M CLXXXVI. Hic acquisivit ecclesie advocaciam in *Honstede*, & multa bona alia & privilegia ab Imperatore Henrico pro utilitate ecclesie Verdenfis, quæ non sunt hic nominanda. Hic ædificavit castrum *Rodenborch*. Hic etiam instituit vicariam episcopalem in choro Verdenfi pro suis negligentis & omnium suorum antecessorum. Obiit III. Kal. Junii. Eo tempore mortuo Henrico Imperatore, principes Imperii electores discordantes elegerunt Philippum fratrem Imperatoris. Alii Ottonem de Brunswic, quod scisma duravit fere annis XIII. sed Philippo occiso Otto obtinuit regnum. Circa hæc tempora surrexit Ordo fratrum Predicatorum, Anno Domini M CXC VIII.

XXXI.

Uso huius ecclesie episcopus XXXI. filius Comitis de Welpa sedit annis XXVI. Iste quanto paternæ sollicitudinis ecclesiam suam fovit affectu, facta eius laudabilia protestantur. Hic fatigatus multis dampnis & vexationibus à nobilibus viris Henrico & Henrico dictis de Westene, omne patrimonium eorum in villa & extra villam ecclesie magna pecunia comparavit. Item contulit fratribus bona in *Ravene*, quæ paterna hereditate ad eum fuerant devoluta & duos mansos in *Blekedo* & curiam in *Bernstede* liberam ad perpetuum lumen, quod ipse instituit. Item dimidietatem decimæ in *Haslewerdere*, & aliis multis beneficiis ecclesie providens, quæ hic longum ponere esset, quam etiam à diversis impugnationibus & molestiis, ubicunque potuit, exemit, magnis laboribus & expensis. Hic etiam bona obedientiarum ab onere advocacie liberavit, & banno episcopali suo confirmavit. Hic Pontifex venerabilis instituit Canoniam sancti Andreæ. Obiit Nonas Augusti. Hiis temporibus incepit Ordo Fratrum Minorum Anno domini M CC VI.

XXXII.

Luderus huius ecclesie episcopus XXXII. Vir devotus & magnæ humilitatis sedit annis LXX. Hic contulit ecclesie decimam in *Emelendorpe* cum advocacia & bona in *Mersch* & *Didendorpe*. Hic etiam ordinavit pauperibus scholaribus Decimam in *Nendorpe*. Hic pro se & successoribus suis iura episcopalia super libertatibus ecclesie limitavit, & privilegiis sollempnibus perpetuo duraturis confirmavit. Huius tempore capta est civitas Verdenfis à Comite de Welpa. Huius etiam tempore facta est eclipsis Solis magna, Anno domini M CCLXI. Circa hæc tempora Canonizata est beata Elyzabeth. Obiit idem Pontifex III. Kl. Julii. Hiis etiam temporibus Fredericus Imperator II. coronatus est à Domino Honorio Papa III. Imperavit annis XXXIII. quem papa Innocentius III. excommunicavit & ab imperio destituit, & principes ab eius fedelitate absolvit, & procuravit eligi ad imperium Henricum Langravium Thuringie, quo cito mortuo electus est Wilhelmus comes Hollandie.

XXXIII.

Gerhardus huius Ecclesie Episcopus XXXIII. Filius comitis de Hoya, sedit annis XVI. Hic fuit amator cleri, utilitatibus ecclesie vigilanter insistens. Hic controversiam diu habitam inter Prædecessores suos dominum Ulfonem & dominum Luderum bonæ memoriæ & ipsum ex parte una, & ministeriales ecclesie ex parte altera, convocatis fidelibus suis amicabiliter terminavit. Iura eorundem ac litonum ecclesie & burgenfium distingvens ac distincta suis privilegiis roboravit. Hic litonum ecclesie angustiis condescendens exactionibus intollerabilibus advocatorum metas imposuit, quas nec ipse nec successores sui & officiales eorum ne transgrederentur, tactis sacrosanctis ewangelis se obligavit & districte prohibuit. Hic contulit fratribus III. Choros in salina ad memoriam suam & sororis suæ salubriter peragendam. Obiit III. Nonas Augusti. Hic etiam contulit fratribus pro remedio animæ suæ bona trans *Aleram*, quæ dicuntur *Ochringe* libera et absoluta. Hiis temporibus Wilhelmus Romanorum rex à Frisonibus est occisus.

XXXIV.

Conradus huius Ecclesie episcopus XXXIII. filius Ottonis Ducis de Brunswic, sedit annis XXXIII. Hic postulatus à quibusdam Canonicis primo minus ordinate processit, sed postea ad cor rediens gloriose rexit ecclesiam, cuius honori providens & divinis, (*) instituit

(*) Deest aliquid.

tuit Cantoriam de novo cum consilio capituli & consensu, & suo scripto & capituli firmiter perhennavit, Anno domini M CC LXXXI. Huius tempore in die Severi cremata est ecclesia maior in irrecuperabile dampnum diversi ornatus ecclesie ab Archiepiscopo Bremensi. (*) Hic contulit fratribus II. choros in salina ad servitia refectoriorum, in festivitibus sanctorum ad illa annotatis. Item comparavit ecclesie bona, quae dicuntur *Uriban* circa *Nyenkerken*. Item obtinuit ecclesie à *Duce Saxonia, Comecias*, quae dicuntur *Grogevescap* in *Verda*, in *Dörverden*, in *Snewerdinge*, in *Stesle*, in *Vislebovede*. Hic etiam posuit lapidem primum huius novae Basilicae Anno Domini M CC XC. Obiit XVIII. Kal. Octobris. Hiis temporibus regnavit *Rodolfus* annis XVIII. & post ipsum *Adolphus* regnavit annis VI & occisus est in bello.

XXXV.

Federicus huius ecclesie episcopus XXXV. sedit annis X. mensibus III. Hic fuit miræ staturæ, simplex & quietus. Istius tempore ecclesie Verdensi diversæ molestiæ oriebantur à circumfudentibus & militibus, qui irruerant in ecclesiam tanquam lupi rapaces in ovile: quidam ex ditione Archiepiscopi Bremensis coadunati, ut dolo caperent castrum *Rosenborch* secrete se receperunt iuxta castrum, sed res innotuit & extracti de latebris, aliis vulneratis, aliis captivatis reliqui fugerunt. Post hæc idem Pontifex invocato auxilio *ducis de Luneborch* intraverunt terminos Bremenses in manu forti, usque ad suburbia civitatis terram rapinis & incendiis undique devastantes. Hic etiam alio tempore insequens raptores ecclesie, & in toto conflictu raptores victi sunt & ex ipsis ad XXX. captivati. Hiis & aliis expensis bona ecclesie nimium sunt distracta. Hiis temporibus regnavit *Albertus Dux Austriae* annis IX, qui interfectus est, post quem imperavit *Hinricus VIII* coronatus Romæ, annis V.

XXXVI.

Nicolaus episcopus XXXVI sedit annis viginti. Iste fuit providentiæ magnæ in congregando, in possidendo, in ædificando. Bona ecclesie, quæ prædecessor suus obligaverat, iste redemit, agros denuo excoluit, castrum *Rodenborch* à fundamentis renovavit, & turrim in eo posuit, & muro cinxit. Bona quæ dominus *Woldemarus marchio Brandeburgensis* ab ecclesia in pædo tenuit, per mortem eius vacantia, contulit *Otoni de Luneborch*. Iste fuit pacificus & nummosus. Pacem, quam non potuit obtinere gladio, pecunia comparavit. Istius tempore primum habita sunt divina in ista nova ecclesia, ipso Pontifice celebrante sacra missarum sollempnia, in nativitate beatæ virginis anno Domini M CCC XXIII. Huius tempore fames valida fuit, quæ duravit fere annis IX. Apparuit etiam Cometa horribilis mense decembri Anno Domini M CCC XV. quem consecuta est maxima mortalitas. Hic in lecto ægritudinis suæ fratribus largam assignavit memoriam. Obiit III. Idus Februarii.

XXXVII.

Johannes (***) episcopus XXXVII. qui postmodum translatus extitit ad *Ecclesiam Frisingensem*, magister fuit in medicinis & medicus Papæ, unde ad Romanam curiam se transferens domino *Godfrido de Werpe* Canonico Verdensi ecclesiam Verdensi in spiritualibus & temporalibus gubernandam commisit. Post huius episcopi translationem, & insuper post eius mortem, contra provisionem & ordinationem sedis Apostolicæ præfatus *Godfridus de Werpe* defendit castrum *Rodenborch* aliquot annis, & quoad vixit sub spe & colore reversionis & adventus Domini sui episcopi Johannis, de cuius translatione & morte ignorantiam simulans & prætendens, non potuit nec voluit certificari, tenuit & defendit. Ob quam causam infinita dampna ecclesie sunt illata. Circa hæc tempora *Ordo Templariorum* exterminatur & destruitur subito, mirantibus cunctis, quomodo tanti domini sic insperanter perimuntur. *Alanus Doctor Unversalis*, *Johannes Schotus Doctor Subtilis* & *Johannes Andrea* lurista maximus clarent.

XXXVIII.

Daniel in ordine pontificum XXXVIII ordine Carmelita, sedit annis XIX. Hic fuit Apostolicus sicut & prædecessor eius *Johannes episcopus*, qui fuit primus apostolicus. Hic Daniel fuit integer in Theologia, & magnæ scientiæ. Cum capitulo suo & prælatis concordare non potuit; Unde propter discensionem, quam habuit cum eis, secessit in partes Reni, & Colonie vitam in excommunicatione finivit. Multa damna & nihil boni dicitur ecclesie fecisse, propter quod memoria eius non agitur. Dicitur tamen, quod notabiliter fortificavit castrum *Rodenborg* & valvam novam partis australis & emunitatis canonicorum construxit, intravit etiam in manu forti partem australem in die cinerum, & captivando canonicos suos plateam unam partis australis igne totaliter concremavit. Idem Pontifex temporibus suis permisit fieri castrum *Lauwenbrugge* ecclesie suæ non modicum in præjudicium & gravamen.

Ee 2

XXXIX.

(*) Hic iterum aliquid deesse videtur.

(**) Hic in MSto incipit nova manus.

XXXIX.

Rodolfus secundus episcopus XXXIX. successit episcopo Danieli & pauco tempore præfedit ecclesiæ. Cancellarius fuit Domini Karoli quarti Imperatoris, oriundus de Vredeberge, vir utique maturus, providus & potens apud Imperatorem & principes electores. Qui in testamento suo capitulo & canonicis ecclesiæ Verdenfis pro memoria sua perpetua tricentos florenos Renenses erogavit. (*) Istis temporibus imperavit Karolus quartus annis triginta & uno, Rex Bohemie vir prudens & astutus, qui multa bona statuit; amator cleri, in cuius favorem legem edidit pro eorum & suarum rerum libertate, quæ dicitur Karolina. Terræ motus maximi fuerunt per diversa loca. Brigitta vidua sanctissima claret, quæ multas habuit revelationes informativas ad omnes statum ecclesiæ. Ordinem ipsa instituit, cuius est patrona. Katherina de Senis virgo virtutibus claret, & obiit anno M CCC LXXX.

XL.

Gerardus episcopus XL. dictus nobilis de Monte, qui translatus fuit ad ecclesiam Hildensheymensem. Pauco tempore huic ecclesiæ præfuit: Gurgustrum, vulgo *ryn waer* dictum, in Wesera ad mensam episcopalem pertinens, contra voluntatem Comitissæ de Hoya construxit, & ad mensam reduxit, quod tamen postea Otto huius ecclesiæ episcopus, de domo ducum Brunsvicensium natus ad muliebrem videlicet sororis suæ Comitissæ de Hoya instantiam in occupatione Ottonis Comitissæ de Hoya pueriliter dereliquit. Præfatus dominus Episcopus Gerardus tres pannos sericos deauratos ad præparamenta ecclesiæ donavit, & plura bona fecisset, si apud ecclesiam permanisset. In diocesi Hildenshemensi in maximo bello prope Dinkeler laudabiliter triumphavit. Carthusiam prope civitatem Hildenshemensem fundavit, ubi & sepultus est.

XLI.

Hiricus episcopus XLI. dictus de Langelen natione militaris Lunenborgensis, fedit annis octo, prius Canonicus Verdenfis & præpositus in Lune: Pius & bonus homo, sed tepidus in regendo, & consanguineos suos nimium diligebat, unde post obitum eius castrum Rodenborch, decimæ ecclesiæ, & multa alia bona & clenodia per eosdem suos consanguineos, quibus castrum ipsum bona fide commiserat alienata ab ecclesia fuerant. Obiit anno domini M CCCLXXX die XXIII. Januarii, & sepultus est in ecclesia Verdenfi prope chorum, regnante Domino Wenzlao Romanorum & Bohemia rege, filio Karoli quarti. Et illo tempore oritur scisma periculosum super Papam, quod duravit longo tempore ad annos quadraginta, adeo perplexum & difficile, ut etiam viri doctissimi non possent discutere, cui esset magis adhærendum, ut merito à tempore Urbani Sexti dubitaretur, quis verus esset Papa, usque ad Martinum quintum electum, longe postea in Consilio Constantiensi. Instituitur eodem tempore Festum Visitationis Virginis matris gloriosæ, ab Urbano sexto pro unione impetranda. Vincentius de Valentia alias de Ferraria, Vir sanctus ordinis Prædicatorum claret miraculis.

XLII.

Johannes II. Episcopus XLII. dictus van Tzeffterfete natione militaris Bremensis, prius decanus ecclesiæ Bremensis, fedit annis octo. Castrum Rodenborch alienatum per consanguineos sui prædecessoris redemit pro octo milibus marcis denariorum Luneburgensium à familiis dictis de Mandeslo. Castrum Rodenborch funditus demoliri ordinavit; Quinquaginta sex curias arabiles & cultas Ecclesiæ ademit. Dominum Wenceslaum post mortem Alberti Ducis Saxonie & Luneburgensis infeudavit cum multis bonis & decimis, & comiciis in Luchow & Dannenberge, iuramento fidelitatis ecclesiæ Verdenfi prius præstito in monasterio Sebarneke, Anno domini M CCC LXXXVI. tertia die mensis augusti præsentibus multis. Obiit anno Domini M CCC LXXX VIII decima die decembris, sepultus in novo claustro Gredenbeke prope Buxtehuden, cui plura bona contulit in Veteri terra, quæ tamen postea per inundationem aquarum ex majori parte perierunt. Illo tempore pullulat heresis perversa Johannis Wickleff in Anglia, & Johannis Husi in Bohemia ac Jeronymi de Praga, qui sub habitu ovino lupinam crudelitatem abscondentes ecclesiasticum statum subvertere nitebantur: adjuvit eos malicia temporis ob scisma scandalosum.

XLIII.

Otto huius ecclesiæ episcopus XLIII. filius Ducis Magni de Brunswyk & Luneborch translatus ad Ecclesiam Bremensem, omnia quæ prædecessor suus post se reliquit, secum ad dyocesim Bremensem abduxit, ubi cum suis raro concordans tandem vita functus est. Memoriale, quod Ecclesiæ Verdenfi dereliquit, est quod Ecclesiam istam, partem videlicet orientalem in suo novo opere non consecratam, anno domini M CCCXC feria secunda paschæ sollemniter con-

(*) Hæc iterum nova manus incipit.

consecravit & transtulit diem dedicationis eiusdem in dominicam tertiam post festum penthecostes. Ipso vero episcopo sic translato & castro *Rodenborch* nichilominus de facto detento, dominus *Bonifacius* in sua obedientia *papa nonus* providit de Ecclesia Verdensi, cuidam *magistro Theoderico de Nyem*, qui antequam ad plenam possessionem castri dicti & obedientiam pervenit, iterum translatus fuit ad ecclesiam *Cameracensem*. Ex quo facto *Magister Conradus de Vechta* postmodum factus *Archiepiscopus Pragensis* in locum eius ecclesie nostrae praeficitur. Quo iterum translato dominus *Conradus de Soltow doctor in Theologia* per provisionem dicti Romani Pontificis subintravit, possessione castri *Rodenborch* obtenta, licet difficulter.

XLIV.

Conradus secundus episcopus in ordine XLIII. dictus *Soltow*, natione militaris *Lyneburgensis*, Sacrae theologiae doctor, edidit tractatum de summa trinitate, qui incipit: *Firmiter credimus & plures alios notabiles libros scripsit & collegit*, qui apud ecclesiam non permanserunt *Verdensem*. Homo fuit doctus, sed negligens per omnia, Epicurus & crapulosus, propter quod ecclesiam in magnis debitis & oneribus dereliquit. In castro *Rodenborch*, quod in manibus extraneorum impignoratum reliquit, obiit anno Domini M CCCC VII & apud ecclesiam *Verdensem* sepeliri non appetens in monasterio *Sancti Michaelis Luneburgensis* requiescit, regnante *Ruperto Romanorum rege, Duce Bavaria & Comite Palatino Reni*, viro iusto & catholico annis novem. Cuius temporibus cometa apparuit, & statim post *Leodium* cecidit, XL. milibus interfectis. Consilium *Pisanum* fit, quo inchoata fuit materia de modo unionis faciendae: duos Papas deposuit, quamvis non curarunt, & tertium substituit, & peior scissura facta fuit & additum est scisma, scismati, dum tres se gerebant pro summis Pontificibus.

XLV.

Hinricus secundus *Verdensis* Episcopus XLV. natus comes de *Hoya*, prius decanus huius ecclesiae, habuit adversarium contra se dominum *Olricum Albach decretorum doctorem*, qui ad instantiam domini *Ruperti regis Romanorum a Gregorio Papa* fuerat confirmatus, licet dominus *Hinricus de Hoya* canonicè fuit electus. Cui *Olrico* adhaeserunt *Duces in Brunsvyk & Hinricus filius ducis Magni* fuit ab eodem infeudatus & praestitit debitum iuramentum, postea in consilio *Pisano Alexandri* in sua obedientia *Papa quintus* provisionem *Olrici* cassavit ac *Hinricum* electum confirmavit, qui episcopatum obtinuit, quod utinam non fuisset factum. Nam idem inutilis episcopus castrum unitum & peculiare *Rodenborch* pueriliter amisit, taliter quod similis forsan rei amissio a saeculis vix est audita, anno domini M CCC XVI. feria sexta ante dominicam *Invocavit*, quod per dictum *Ducem Hinricum* fuerat ordinatum. Ex qua perditione ecclesia & Episcopatus ad viginti milia florenorum dampna reportarunt, & duces castrum ipsum aliquamdiu possederunt, demum pro undecim milibus florenis famulis dictis *Cleucken* (*) pignori tradiderunt. Dictus *Hinricus* Episcopatum resignavit & *Papa* alteri, videlicet *magistro Johanni de Azel*, providit de eodem.

XLVI.

Johannes tertius episcopus huius ecclesiae XLVI dictus de *Azel* natione *Hildensemensis*, doctor decretorum Castrum *Rodenborch* pro undecim milibus florenis impignoratum redemit, pro qua pecunia alia certa bona & decimas re impignoravit, idemque castrum notabiliter aedificavit & ornavit. In multis tribulationibus & continuis bellis, ut vir fortis & magnanimus, ecclesiam satis laudabiliter rexit, nunc cum *Archiepiscopo Bremensi*, nunc cum *duce Brunsvicensi*, nunc cum *duce Luneburgensi*, aliquando cum *Comitibus de Hoya* successive conflixit. Fuit etiam plus suis praedecessoribus sumptuosus, *Alchimia & mineralibus variis, singularibus artibus* deditus, bellis & guerris continuo implicatus, unde temporibus suis plura debita ecclesiae sunt exorta. Sedit annis quadraginta tribus, donec senio confectus episcopatum resignavit anno domini millesimo quadringentesimo septuagesimo. Intravit episcopatum confirmatus & provisus a *Martino papa quinto* unico & indubitato *Papa*, qui fuit concorditer electus in Consilio *Constantiensi*, Imperante *Sigismundo Imperatore Romanorum*, & cessit imperante *Frederico tertio*.

XLVII.

Bertoldus episcopus XLVII. dictus de *Landesberge*, de genere militari, prius decanus ecclesiae *Verdensis* confirmatus a *Paulo Papa secundo* anno M CCCC LXX pacificè intravit ac pacem prioribus temporibus ecclesiae raram reformavit & aliquamdiu continuavit. Domino *Henningo Episcopo Hildensemensi* pro assécutione sui episcopatus fideliter astitit ac primum lapidem posuit partis inferioris & occidentalis ecclesiae *Verdensis*. Ad mensam episcopalem ducentarum marcarum redditus perpetuos apud consulatam *Luneburgensem* de novo acquisivit. Castrum *Rodenborch* fossatis munivit, portam in suburbio versus opidum struxit, & postquam sedit annis decem ad ecclesiam *Hildensemensem* translatus fuit a domino *Sixto Papa quarto* anno Domini M CCCC LXXX, ecclesia

(*) An. Clenken?

Verdenſi ſibi, quoad viveret, commendata, & deinceps ambas rexit eccleſias. Cometa apparuit anno domini MCCCC LXXII circa feſtum ſanctæ Agnetis. Leodium ante multis tribulationibus atteritur & deſtruitur per Karolum potentiſſimum Ducem Burgundia, qui tandem proximis temporibus in Lotaringia in bello cecidit interfectus. Hic Bertoldus hanc ymaginem cum ſeptem præcedentibus ad inſtar priorum ad Dei & eccleſia Verdenſis honorem parari fecit.

XXI.

VITA

S. SVVIBERTI dicti EPISCOPI VERDENSIS

falso attributa Markelmo Presbytero.

PROLOGVS

MARCELLINI

A D

D. GREGORIVM TRAJECTENSEM EPISCOPVM.

VENERABILI & dilecto in Christo Domino & patri D. Gregorio, sanctæ Traiectensis Ecclesie Episcopo & Frisonica gentis prædicatori eximio, Marcellinus presbyter, gentiliū prædicator inutilis, bonum quod præstat omni bono. Multoties dudum exhortando piè monuisti me verbis & scriptis, novissime vero præcepisti tua paternæ authoritatæ beatissime Pater, quatenus conscriberem & in lucem protraherem sanctissima exordia natiuitatis, ac magnifica gesta siue virtutes & meritorum præconia S. Sviverti Pontificis & egregii paganorum prædicatoris: ne tam magnifica & virtuosa opera, tam gloriosi Patris obliuiscantur, sed scriptis ea commendarem, ut ea agnoscat generatio altera patribus succedens, & in perpetua maneat memoria: eò quod æterna sapientia dum viueret, excellentiam suæ singularis vitæ signis & prodigiis probauit, ac nunc secum regnare crebris miraculis quotidie in Verda ad decus suæ Ecclesie, & salutem suorum fidelium manifestat: ut tu ipse bene expertus es, ut mihi literatorie insinuasti, dum à Colonia Agripina Traiectum celeriter nauigans, fere cum tuis apud Verdam naufragium passus fuisses, eò quod sine saluatione S. Sviverti festinanter prætereire proposuisti, quia arduum negotium Ecclesie Traiectensis valde te vrgebat. Moxque memor S. Sviverti, emisso voto Deo, ut ipsum visitares, periculum & naufragium protinus euasisti. Sed mirari non sufficio, gloriose antistes, quod mihi tantum onus imponis, cum tui nominis, tuæque nobilitatis fama, multis in locis magna dignaque memoratu habeatur. Quippe qui literarum scientia viges, & præpollente stylo, rhetoricoque ornatu dictitare, floresque Sanctorum contexere & compilare consueuisti. Præterea in conuentu tuo Traiectensi tecum aliquot oratores & rhetores, ac diuersis scientiis præditos, me utique literatioris, magnificos habetis & regitis magistros & doctores, qui elegantiori sermone melius & ornatius componerent gesta ipsius quam ego: qui inueteratus dierum, cuius sensus iam hebetati & debilitati, ac vires corporis attenuata, & fere consumptæ sunt; utpote qui sexaginta quinque annis pro modulo meo indefinenter prædicationibus & conuersionibus paganorum insudauit: quinque ante pontificatum Sanctorum VVillebrordi & Sviverti, & quadraginta tam sub sancto VVillebrordo, quam sub sancto Swiberto: & decem & sex sub egregio Pontifice & martyre S. Bonifacio, prædecessore tuo, & quatuor iam sub te, qui me Dauentriam & ad paganam gentem Transsylvaniam cum dilecto confratre & patriota meo Leuino presbytero misisti, prædicaturum ipsis sanctum & terribile nomen Domini. Et quia pridem, ut prælibaui, creberrima tua exhortatione, & solerti monitione tuorum aliquorum confratrum per sepe requisitus, ut conscriberem, procul dubio non temerarie recusavi vel dimisi, sed pie distuli propter pusillanimitatem & imbecillitatem meam, ineptum me iudicans ea conscribere: tamen quia nuper tua pontificali authoritatæ & diffinitione siue conclusionem canonicorum dominorum meorum conuentus Traiectensis, à me specialiter eadem sanctissima gesta ipsius conscribi decreuisti, & mihi stricte præcepisti, eò quod à iuuentute mea in Anglia cum illo conuersatus fui, & cum ipso & S. VVillebrordo & cæteris confratribus meis ex Anglia in Germaniam nauali euectione deueni & S. Sviverto ministraui, donec optimus confrater noster VVilleicus, dignus sacerdos Dei, ipsi deuote seruiuit, & cum illo ad Bonuauarios proficiscens, fideliter cum eo verbum vitæ ipsis prædicando euangelizauit, me manente & annuntiante verbum salutis & vitæ gentibus & neophytis tuæ Diocesis. Ideoque ne inobediens & temerarius censear, tuis volens parere mandatis & petitionibus, tuisque & confratrum tuorum Concanonicorum Conuentus Traiectensis precibus, & præcipue meritis sanctissimi Confessoris & Pontificis Sviverti confusus, reiecto pudoris velamine, licet imperitia mea dehortabatur, suadebat tamen charitatis virtus imperiosa, dicente Paulo: Cha-

Cha-